

IL

NOMINATIO EPISCOPI.

Brevi Apostolico nominatus est:

31 Ianuarii 1911. — R. D. Nicolaus Marconi, Episcopus renuntiatarius dioec. Pulaten., Episcopus titularis dioecesis Theodosiopolitan.

III.

NOMINATIO PRAEFECTI APOSTOLICI.

Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide nominatus est:

13 ianuarii 1911. — R. P. Ildefonsus Lanslots e Congregatione Cassinensis O. S. Benedicti Primaevae Observantiae, Praefectus Apostolicus noviter erectae Praefecturae Ap. de Transvaal Septentrionali.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM SEU DECLARATIO SUPER EDITIONE VATICANA
EIUSQUE REPRODUCTIONE QUOAD LIBROS LITURGICOS GREGORIANOS.

Per decretum diei 11 Augusti 1905 Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit Editionis Vaticanae libros liturgicos gregorianos respicientis reproductiones adamussim esse conformandas eidem typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato. Quod si ex quadam S. Sedis tolerantia et permittente Ordinario, aliquoties praefatis reproductionibus addita fuere quaedam signa, ritmica nuncupata, atque ita ipsae reproductiones in vulgus editae ac venditae, tamen in seligendis atque adhibendis eiusmodi signis pluries conquestum est per ea aliquantum variari ac immutari notulas traditionales vaticanas: et ad hos abusos removendos idem Sacrum Consilium evulgandum censuit alterum decretum sub die 14 Februarii 1906. Quum tamen non omnes abusos cessaverint et alii recentiores adiecti sint, sive ob titulum adhibitum *Editionis ritmicae*, sive ob interpretationem haud rectam decreto-

rum, necessaria fuit nova declaratio authentica expressa per epistolam Secretarii S. R. C. datam die 2 Maii 1906. Quae epistola typographis facultatem et licentiam rite habentibus reproducendi editionem typicam Vaticanam clare significabat hanc solam editionem ab Apostolica Sede esse approbatam atque praescriptam pro usu cantus gregoriani, una cum subsequentibus editionibus eidem plane conformibus; ceterasque editiones rítmicas nuncupatas ob signa adiuncta, habendas tantum toleratas; atque hoc sensu esse intelligendum decretum latum die 14 Februarii 1906.

Quae quum ita sint, ut removeantur abusus existentes et praecludatur via tum enunciatis tum aliis quae facile irrepere possent, Sacra eadem Congregatio sequentia decernere atque enucleatius declarare voluit:

I. Editionem Vaticanam de libris liturgicis gregorianis, prouti e vulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continere quae ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praeseferunt signa superinducta, ritmica dicta, per abusum vocari editiones rítmicas, atque uti tales haud fuisse approbatas, sed tantum precario toleratas: hanc vero tolerantiam, attentis rerum adiunctis, amplius non admitti, nisi pro solis editionibus iam factis, Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extendi sive ad editiones cum notulis gregorianis sive ad transumpta cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus Proprii diei 25 Aprilis 1904 et Decretorum huius S. R. C., tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. Rmis Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licere editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis sibi subiectis praecipere, atque usum editionis adprobatae inhibere valeant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Ianuarii 1911.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. © S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius*.